

CANCELL.  
MARTIS B\*\*  
1718.

0081

Xt. 6. 1920.


52

~~25. 8. 2~~

~~XXVIII. 9. a~~

- M









1. De libro societatis conjugalis.
- II. Klinger de Dotie.
- III. de Donationibus propter negotiorum ab eis oris  
Dotas vindicata Bodini.
- IV. Triglycer de dotie non prornissa propter
- V. Jacob de Dotie ante matrimonium consummatio  
<sup>licet</sup> nuptiarum.
- VI. Joh. Samuel Hryk. de Testamento Conjugum reciprocis.
- VII. Thomasius de pactis dotaliis.
- VIII. Capitonus de infantibus expositis.
- X. Gaber aus Braunb. der Thesaurus.
- XI. Stiglif de eo, quod ipotes in praedium matrimonii  
cere possunt.
- XII. Boileau de donationibus, quae sunt inter coniugium  
honoris causa.
- XIII. Bodin de retinenda libertate matrimonii.
- XIII. Hillegot de eo quod fit in honorem matrimonii.
- XV. Licius von Altona legimus quis licet fundi.
- XV. Triglycer de mitigatione ad uitam poena ob den  
tum conjugis adest debatum.
- XVI. Bodin de diuinito Coniugium propter delictu  
m. Werner de redintegrando matrimonio.
- XVIII. Schneidendorfer de jure occidendi preceptis  
in adulterio feliae et uxoris.
- XIX. Joh. Sam. Hryk de jure et qualitate personarum  
matrimonii et generationum.
- XX. Roffe de actionibus Coniugium mutuer.
- XXI. Thomasius de iure pratico, doctrine Institut. de iure.
- XXII. Joh. Sam. Hryk. de natura matrimonii.
- XXIII. Joh. Sam. Hryk de matrimonii jure et iustitia.

- XXIV. L. s. san. R. x. de probatio ne fonsaliorum.  
XXV. Bodin de anticipato concubitu.  
XXVI. Ep. de Concupis. iiii cito.  
XXVII. Cardili nos. L. frideric. ym. 4ij. I. und Cotta.  
XXVIII. Lex de Concupis. debiti prattatione.  
XXIX. Herken de auct. patone ad alimenta nepot. illegit. mo prattanda non obligato.  
XXX. Struk de designatione Patris et matris infantis facta.  
XXXI. Thomas de sua practico doctr. In p. de legittimam.  
XXXII. Ep. de partur futuron in fonsaliorum.  
XXXIII. Tugor de Concupis. natu.  
XXXIV. Struk de Obligacione fonsaliorum et dissolitione.  
XXXV. Herold de fato matrimoniali d. G. eradic  
in. Finol ym. wff.  
XXXVI. Ludovicus nos. L. in modicis Lat. ym. bis. Relatibus.  
XXXVII. Struk de natura fonsaliorum et dissolitione.  
XXXVIII. Schindler de fonsalio by clare p. h. ur.  
XXXIX. Müller von dalt sum. et libr.  
XL. Bodin de discordia Concup. 2.  
XLI. Müller von Zimring.

11

DISPUTATIO  
**JURIS MORALIS ET CIVILIS**  
PUBLICI ET PRIVATI

DE  
**RESTRINGENDA**  
LIBERTATE MATRIMONII  
INEUNDI

QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.

SUB PRAESIDIO,

**D N. HENRICI BODINI,**  
Jcti, CONSILIARII REGIM. ECCL. IN DUC.  
MAGDEB. ET PROF. JUR. ORD.

EX E JUSDEM PRIVATISSIMIS DISCURSIBUS  
EXCERPTAM.


PUBLICE VENTILANDAM PROPONET  
**HIERONYMUS DE Münchhausen /**  
EQ. SCHAUMBURG.

ad diem 17. Dec.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis JOH. GRUNERI, Acad. Typogr.





## I. N. D. N. J. C.

Th. I.



Ostquam omnipotens ac be-  
nignissimus omnium rerum condi-  
tor, admirandam mundi machinam  
cum ejus stupende varietatis cho-  
ro perfecerat, non tantum pulcher-  
tibus, crea-  
rimam ac vastissimam hanc struc-  
turam, intelligentibus ex aura cœlesti  
tum, conditis subtilissimis creaturis imple-  
vit, qui mole crassioris materiæ non

impediti, velocissimo motu omnia perscrutari, infinitæ  
sapientiæ admiratores & gloriæ testes esse possint, sed & in implementum incomprehensibilis ordinis & harmoniæ, si-  
malem subtilissimam intelligentis auræ flammulam, purissime vinculum  
terrestri ac crassiori materiæ, totum universi ordinem in compendio repræsentanti, tam arctissimo unionis vinculo al-  
sociavit, ut exinde unum individuum, quod hominem voca-  
mus, existeret; ut sic homo, spiritualium & corporalium, seu  
subtilissimorum cœlestium & crassiorum terrestrium compa-  
ges, omnibus naturæ create bonis, spiritualibus & corporali-  
bus frui, & in gloriam sui conditoris, omnia conjungere possit.

A 2

Neque

*Imo arctis-  
simam unto  
cum ipso  
creatore.*

*Inter Deum  
Et hominem  
est propri-  
um Et for-  
male conju-  
gium.*

*Conjugium  
inter homi-  
nes illius  
tantum  
idea.*

*Maxime  
tamen na-  
turalis Et  
necessaria.*

*Scopus Dis-  
putationis.*

• (4) •

Neque tamen infinita sapientia ac essentialis amor, in eo acquievit, nisi quoque se ipsam, in perfectissimam hanc omnium creaturarum compagem, diffundaret, suique ipsis ideam ex ea formaret, tantoque unionis vinculo sibi plane propriam redderet, ut formaliter conjugii conceptu, ipse creator cum hac sua creatura unum quoddam existeret, pro cuius amore ac aeterna consociatione, omnia sua infinita bona unice parata haberet; illamque in solium omnipotentis suae Majestatis secum collocaret, ut pro tanto amore gravius adulterinum crimen committi non posset, quam sanctissimo huic despontato non unice adhaerere, in eoque non omnem fiduciam collocare, e contra nihil hominis naturae convenientius, quam in divinum amo-  
*i. Ep. Joh.* rem sepe prorsus diffundere, & nihil nisi conjugis & Domini amorem spirare:

Ne quoque unquam tantæ conjunctionis homo immemor existat, simulacrum ejus plerisque viventibus impresit. ipsisque humanæ nature implantavit; ut generis sui conservationem aliter, quam sui communicatione, cum ejusdem essentiali adjutorio, aristissimo amoris vinculo, & conjugalí consociatione, obtinere non posset; Ut sic conjugalis haec inter homines societas, praecisa foeda carnalivoluptate, Divinam cum hominibus unionem repræsentet; ac tanquam totius naturæ vinculum ac conservatio, licet non pro formalí sacramento, tamen pro re sacratissima in ipso naturæ ordine fundata haberi debeat.

Th. II.

Cum itaque maris & foeminæ 'conjugalis' conjunctionis. Etio, extra omne dubium, ad jus naturæ & ejus obligatio ad

ad omnes homines pertineat, vid, pr. & S. II. Inst. de I.  
*N. G. & C.* non immerito in dubium vocatur, an haec  
naturalis, non tantum libertas sed & obligatio, facto ho-  
minis adimi vel restringi posit? cum experientia teste-  
tur, non obstante naturali ad cohabitationem conjuga-  
lem instinctu, tribus tamen potissimum modis, liberta-  
tem matrimonii ineundi refrenari; 1. ubi promissione  
erga DEUM sub poena amittendæ illius gratiae si con-  
tra fiat matrimonium, abjuratur, quod Votum Castitatis  
vocatur. 2. ubi spontanea promissione quis se ad coe-  
libatum alteri obligat. 3. ubi vel Superioris vel judicis  
autoritate sub certa poena, matrimonium interdicitur,  
circum quæ singula quid justum sit, ordine examinabi-  
mus.

*Tribus mo-  
dis restri-  
ctio matri-  
monii con-  
tingit.*

### Th. III.

Quia vero non satis perspicue de restringendo ma-  
trimonio tractari poterit; nisi prius quid sit matrimo- *Quid sit*  
nium tradatur, præprimis dum crassiores hujus sanctis *conjugium*  
fimi foederis conceptus, non solum Vulgus hominum, *in concepiu-*  
*sed & eruditos ac fere omnes, qui etiam ex professo de formalis*  
*matrimonialibus scripferunt, ita facinaverint, ut saepi-*  
*us pro matrimonio venditetur, cui iidem hoc statuen-*  
*tes, conjugales usus denegant, & contra. Misis*  
*hic Variis Doctorum erroribus, de quibus vid.*  
*Disp. Præsidis de Error. circ. Matrim. ipsum conjugii*  
*conceptum formalem, quantum in re tam sub-*  
*limi fieri poterit, describere sufficiet; Concipimus*  
*igitur *Conjugium*, quod sit *societas inæqualis in**  
*qua pars imbecillior validiori & perfectiore*  
*sic subjicitur, ut in totum bjujs propria sit, ab*  
*3*  
*cogue*

*eoque dependeat; rursus vero ab hoc, purissimo amo-  
ris vinculo tanquam sui ipsius pars, in qua gaudia sua  
querit, diligenda cum arctissimo sui ipsius unione &  
communicatione omnis fortunae & felicitatis.* Ex qua  
descriptione quæcunque officia hominis erga Deum, ut  
& summa divina beneficia commodissime deducen-  
da, uberiori Theologicæ meditationi hic relinquim-  
us, vid. tamen Ps. 45. v. 10. & seqq. Esai. 50. v. 1. *præprimis*  
c. 54. v. 5. & seqq. Jer. 2. v. 2. Ezech. c. 10. *per tot. Hos.* 2. 19.  
& seqq. *Evang.* Joh. c. 3. v. 29. 2. *ad Cor.* 11. v. 2. & seqq. *ad E-*  
*phes.* 5. v. 25.

Cum autem hæc ab animo & spiritu potissimum  
dependeant, hominis vero essentia ex carne seu corpo-  
re simul constet, talis plenisima unio inter homines  
*Formalis*  
*conceptus*  
*conjugii in-*  
*ter homi-*  
*nies.*  
*Sensus dict.*  
*ad Gen. 3.*  
*v. 16.*

invicem non existeret, nisi tanta corporum quoque  
communicatio fiat, qua Validior appropriatæ suæ car-  
ni, in intensissimo amore, corporaliter quoque adhære-  
at, ita ut ideam sui eidem imprimendo, per hoc no-  
vus sibi partus producatur; in quo memoria ipsius con-  
servetur. In quem finem sanctissimus Creator differen-  
tiā sexus introduxit, ac fœminam non nisi propter vi-  
rum creavit & eandem, tanquam carnem Mariti plane  
propriam, hujus dispositioni naturaliter subjecit; cuinon  
obstat, quod Gen. 3. v. 16. Dominatus Mariti, fœminæ in  
pœnam primi peccati impositus legitur; sublato enim  
per carnis incitamenta purissimo amore (*vid. disp. d. obl.*  
*Forens. jur. Div. in proem.*) quo amicissima sexus fœminei  
a masculino dependentia, uxoribus non minus molesta  
fuerit, quam in ordine corporalium cruribus pedibusque  
in recta & sana totius constitutione molestum non est  
con-

conservationi superiorum membrorum infervire; post ex sexus mollitie admissa cornali cupiditate, foeminae maritali postestati & Dominio ita sunt subjectæ, ut quamvis & Viri per foeminam peccato quoque immersi, seposito amoris vinculo, tanquam Domini proprium commodum & delectationem sibi attributuri sint, ipsis etiam repugnantibus & invitis parendum sit, quæ utriusque calamitas, justo divino judicio, ex peccato orta, in allegato loco recensetur. Ad quod dominium præ omnibus aliis ad effectus externos obtainendum, in communi mulieris in hominum societate qualis jam est, publica & solennis re-proprietatibus traditio & traditæ acceptatio, ut omnibus innotescat, hanc esse hujus viri uxorem; qua traditione & de essentia inde dependente absoluta unione & communicatione plementum viri est conjugii.

missima corporis & animi utriusque consensu nondum facta, verum conjugium vocari non potest; vid. *Can. Beata Maria 3. verb. Individua vita consuetudo. Sc. & Can. si quis despontata. 38. Can. 27. qu. 2.* quicquid etiam Dd. vulgo de sponsalibus de præsenti, male intellecta hac phrasí juris Can. in contrarium sentiant, ex quo maxima absurdia, ac ipsorum hoc statuentium contradictiones sequuntur; Unde verum conjugium a latinis *MATRIMONIUM* appellatum, ad indigitandum, quod sit societas, in qua foemina sub manus ( id est proprietatem ac dominium ) mariti ita tradita est, ut haec exinde mater existere debeat, sine qua præsenti traditione ac naturali facultate procreandi ac educandi liberos, matrimonium ab initio recte contrahi, multo minus in coniunctione juvenis cum vetula a Clerico salva conscientia dici poterit, tales a Deo matrimoniali vinculo conjungi.

## Th. IV.

Aliis notabilibus, ex essentiali matrimonii inter homines conceptu, contra communes crassos errores, vel Dd. controversas opiniones, peculiari tractationi referentes, ad scopum iterum, unde digressi sumus, revertimur, illud ex supra traditis animo reperentes, Virum non primario propter uxorem sed in absoltissimam harmoniam & vinculum totius naturæ creatæ, ac vicarium imperium omnium terrestrium, in gloriam & æternum conjugium ipsius Creatoris formatum, foeminae vero, quamvis ejusdem humanæ esentiae & divini conjugii partipem, in proprietatem, amicissimum adjutorium, & usum viri productam esse. Quod eo nos ducet, ut dum ita Masculi ad varia alia, Deo & naturæ præstanda officia, ex ipso naturæ ordine destinati sint, facile admittamus, illos, satis jam multiplicato genere humano, egregie agere, si mente ab omnibus illecebris carnis purificare, & in nullo alio quam in Divino conjugio consistere, seque totos gloriæ divinæ offerre nitantur, inviolabilem castitatem servantes, quos per hoc beatos fore ipse Salvator deprædicat. *Matt. 19. v. 12. & Doctissimus Apostolorum Paulus ex Divina inspiratione, cœlibatum matrimonio præferendum judicat. i. Cor. 7. v. 38.* non tantum quod hominem liberet ab omni concubitu & inde dependenti detimento naturæ ac foeda voluptate, quodque ad alias virtutes tam intellectuales quam morales multum conducere credatur: Cum concubitus per secundum ordinem naturæ commissus nec illicitus sit nec naturam destruat, ipsumque matrimonium caste servatum, virtutum exercitium non impedit; Sed potissimum

*Viri cœli-  
batum eli-  
gere pos-  
sunt, ad ma-  
jus offici-  
um Deo  
præstan-  
dum.*

tum si cœlibatus propter majus officium Deo præstandum *Cœlibatus*  
 & propter regnum cœlorum eligatur; cum e contra, tan-*a Masculis*  
 tum obtemporalia commoda & tranquilliores vitam ele-*propter Ma-*  
*etus, magis mollis & corpori inservientis, quam virtuosi a-jus officium*  
*nimi indicium præbeat, & merito improbandus sit. Quia recte eligit-*  
*vero naturæ corruptæ inclinationes, voluptates carnales sur-*  
*excitantes, ex originali labe, homini quamvis ex spiritu re-*  
*genito coharentes, prorsus extingue, ex mero humano *Votum ta-**  
*arbitrio non dependet, sed hoc tanquam singulare di-*mende eo**  
*nrum donum, indefesis precibus & assiduo officii sui est impium.*  
 opere, a DEO magis exorandum est, quam quod illud  
 ex propriis viribus promitti possit; hinc *Votum casti-*  
*tatis Papisticum*, quo Divina vindicta invocatur, si contra  
 fiat, tam in se impossibile, quam impium judicamus,  
 dum licet corpore appareret servetur, animum tamen  
 pravis cupiditatibus inquinatum relinquit; unde qui ta-  
 le votum præstiterunt, vi externa ad ejus observantiam  
 non cogendi, sed in hac re mere divina, proprie con-  
 scientiae committendi sunt. Nec in contrarium mo-  
 ver Argumentum admodum plausibile Pontificis in  
*Can. i. caus. 27. qu. 1.* ab uxoribus ductum, quo sic con-  
 cludit, si uxor diutius absente marito, ad votum huic *Refutatur*  
 factum, stricte servandum sub Adulterii poena obliga-*argumen-*  
 tur. Ergo majoris criminis reus est, qui fidem DEO ita *tum Pontifi-*  
 datam, frangere ausus fuerit; Dispar enim hic plane est *cis.*  
 ratio, cum conjugii Leges respectu hominum inter se,  
 non nisi voluntaria externa actione, quarum executio  
 ab ipsis dependet, violentur, DEO vero de involunta-  
 riis affectibus ratio sit neddeda; quos qui proprio ar-  
 bitrio eradicare sub juramento presumserit, de tem-  
 ritate hac devotam agat poenitentiam, & ex resur-  
 genti.

gentibus carnis a Deo datæ incitamentis, (postquam instantissimis precibus ob votum semel factum se de his liberari frustra tentavit,) sibi persuadeat, se, ad cohabitationem conjugalem a Deo conditum, contra hujus voluntatem aliud vitæ genus, prohibito aūsu, elegisse, ut sic male juratum, pejus servetur, non tamen negaverim, periculosum esse, a tali voto, nimis festinatio & antequam indefessis precibus ad obtinendum continetiae donum Deum anxie invocaverit recedere. vid. Num. 30. v. 3. & Deut. 23. v. 21. 22. 23. cum simil. Quod vero foeminas attinet, de harum licita continentia majus videtur dubium, cum enim hæ primario propter virum sint conditæ, vid. Gen. 3. 1. ad Tim. 2. v. 13. ac in ordine naturæ inter homines ad hoc unice videantur destinatae, ut liberos pariant, & horum nutritionem ac educationem promoveant, vid. 1. Tim. 2. v. ult. it. C. 5. v. 14. it. Gen. 30. v. 1. 2. 3. huic naturali officio ex propria electione se subtrahere velle, ipsis nefas videtur; quod de filiabus familias eo certius, quo harum voluntas simpliciter patris voluntati subjecta, ut de se nullam dispositionem habeant, sed & absque ipsarum consensu, marito in matrimonium dari possint, vid. Exod. 21. v. 7. & seqq. l. 7. §. 1. d. Spons. junct. l. 10. n. 12. 13. ibid. l. 12. 14. 20. C. d. nupt. a patria tamen potestate non liberata virgo & filiasam. cum consenti patris ecclibatum eligere, imo hanc a patre ad perpetuam virginitatem devoveri posse, statuendum videtur ex Num. 30. v. 4. & seqq. & v. 10. junct. 1. ad Cor. 7. v. 36. Quia vero allegata lex Mosaica, de Voto castitatis, non loquitur, quod ex v. 7. ibid. appetat, & Apostolus in allegato loco v. 25. & 26. expresse fateatur, quod citra Divinum mandatum ibidem tantum consiliuna

lium, ad necessitatem illius temporis directum proponat, e contra sapienti Syracide Autore, maximum officium erga filiam sit, si illa nuptui detur. *Syr. 7. v. 27.*  
 ac juxta leges Romanas & veram moralitatem reipublicæ interfit, foeminas ad matrimonium promovere,  
*l. 1. ff. Solut. Matrim. l. 7. S. si plures d. bon. damnat. in*  
 tantum, ut si pater filiæ fam. ante annum ætatis 25. de  
 marito non prospexerit, huic permisum sit, sine con-  
 sensu patris nubere, ino talis lasciviendo, impune &  
 fine sua culpa in corpus suum peccare dicitur, in *Nov.*  
*115. c. 3. §. 11.* ideo foeminae non facile concedendum,  
 ut si honeste ab aliquo expetatur, prorsus omne matri-  
 monium declinare & perpetuam Virginitatem eligere  
 velit; multo minus approbandum ut sub praetextu Vo-  
 ti Deo facti, contra ipsarum desiderium a matrimonio  
 prohibeantur. Quamvis ergo per pacem religiosam cau-  
 tum sit, ut in Germanico Imperio tres illæ notæ confes-  
 siones religionis, tolerari & omnia in illo statu, in quo an-  
 no 1624. fuerunt, relinquï debeant, si tamen in ditione *sue Mon-*  
 alicujus Principis aut alterius Status Augustanae Confessio-  
 nis, Monasterium Virginum Papisticum reperiatur, non non permit-  
 concedendum, ut miseræ illæ pueræ, maximam partem *tenda-*,  
 contra ipsarum inclinationem, aut ad minimum sine spon-  
 tanea electione eo detrusæ, in clausuris (uti vulgo vocan-  
 tur) tanquam in perpetuo carcere detineantur; cum eo  
 ipso territorialis jurisdictio & Jus Episcopale, quo Prote-  
 fantes Imperii Status suo jure, & ex ipsorum Pontifico-  
 rum concessione utuntur, quam maxime lædatur, quod ta-  
 les pueræ, ut subditæ prohibeantur, pro concessione matri-  
 monii ineundi vel liberatione carceris injusti, Magistratum  
 vel Principem implorare, contra iura manifesta vid. *l. 19. ff.*

*de rit. nupt. cum simul.* ac experientia testetur, quod si tales Monasticæ foeminæ aliquid contra prætensum votum commissione inculpentur, vel matrimonium appetendo, vel in corpus suum peccando, quod tunc invitæ ex illo territorio protestantis religionis, in territorium Papisticum puniendæ mittantur; quæ est manifesta violatio jurisdictionis territorialis; non aliter ergo, salva religionis libera confessione & pace Religiosa, talia cœnobia permittenda essent, nisi quoque personis in illis versantibus, libera semper relinquatur potestas, cœnobia egrediendi, ac confessionem illius provinciæ audiendi ac eligendi, præprimis pro lubitu Imperantis auxilium & tutelam implorandi &c. sin securus fiat, & subditi, a tutela territoriali impediuntur, species rebellionis est, contra quod contraria observantia eo minus allegari posset, quo hæc manifeste irrationalibilis est; Pontificiæ quoque religionis Status, in nulla causa subditorum Protestantium permittant, ut illi extra territoriorum alterius Status Imperii jurisdictionem simpliciter sequantur. Cum vero Principes variis publicis curis occupati, non omnia ante oculos semper habere possint, ad illorum, quibus Ecclesiastica jurisdictione commissa est, curam & sollicitudinem pertinet; a Principe impetrare, ut convenienti sanctione dicto malo obveniatur; ad minimum ut vel singulis annis tales Virgines singulæ seorsim per Commissarios examinentur, an aliquid desiderii habeant in quo auxilium Superiorum expetant, ut illud liberrime propone-re possint. &c.

Th. V.  
Paucis quoque jam examinabimus casus, quibus  
per

per conventiones hominum, libertas matrimonii ineundi restringitur, non quidem acturi de eo, quod conjuges aliud simul conjugium appetere non possint, quippe quod de licita vel illicita Polygamia, ab aliis fatis prolixè sit actum, quibus illud tantum adjicimus, quod cum Polygamia, propter exinde resultantia incommoda, odia, rixas, ut & voluptatis incitamenta, cum plurima tate amoris Christiani, subsistere vix posset, indeque illam ( quantum ex antiquissima historia Ecclesiastica constat, ) inter Christianos nunquam usitatam, sed potius quæstione de ea mota, reprobataam fuisse, negari nequeat; non inconveniens foret, si Terrarum Domini ex plenitudine potestatis, omnem de hac materia Disputationem sub gravi corporali poena prohiberent, quippe quod occasione revocati hujus dubii, de licita Polygamia, in aliquot Magnatum familiis sat funesti eventus demonstraverint, quam defensa hæc licentia displiceat Deo; & forte hæc quoque materia eo referenda, quod non omnia Christi monita & facta scriptis Evangelistarum recensita sint. *Joh. ult. v. ult.* sed ex antiquissimæ Ecclesie Christianæ legibus & moribus petenda, unde quoque non omnes traditiones Ecclesie simpliciter rejiciendæ sunt. Quod vero plerique Dd. prætendunt, in Constit. Crim. Car. V. Polygamis penam Adulterii aut Capitalem statutam esse, unde porro ansam sumunt, sacra-tissimas illas constitutiones iniquitatis arguendi, quod bina Conjugia, quamvis singula per se licita, gravius puniantur, quam bina aut plura commissa supra. &c. Non levis est error; Carolina enim Constitutio in art. 121. non loquitur de casu mariti per modum Polygamie plures simul uxores habentis, sed de casu ubi deserta

B 3

eiusque  
pena.

priori

priori Conjuge aliquis clam & de lo malo ; aliud inivit Conjugium ( quod ex accurata textus inspectione facile apparebit, ) & cum ipse Salvator Matth. 19. v. 9. non illum , qui aliam ad primam duxerit Conjugem , sed illum qui priori relicta aliam in locum primæ duxerit ; Adulterii reum esse deciderit , hodieque inter Christianos non usitata Polygamia , illud in Constit. Carolina notatum Crimen , non aliter quam cum malitiosa desertione contingat , & sic dubium non est ; quin talis quantum in se fuit , omne vinculum Conjugale ruperit , magis quam in Adulterio , per dict. art. 121. mirum non erit , quod in tales capitali poena animadvertisatur , secus ac in stupro .

## Th. VI.

*Disputatio  
delicta Po-  
lygamia,  
merito in-  
terdicenda.*

Cum igitur potissimum hic nobis agendum de il- lis , qui in Coelibatu existentes , singulari conventione libertati matrimonii ineundi renunciarunt ; Primo ex statu Ecclesiastico illi occurunt , qui quæve , non quidem solenni Voto se D E O adstrinxerunt , sed tamen ex reversalibus vel antiquissimis moribus , non aliter ad beneficia & dignitates Ecclesiasticas admissi sunt , quam sub conditione Coelibatus ; Ubi quidem non ignoramus , plerosque existimare , talem promissionem , æque ac supra de Voto diximus , esse ultra hominis vires & in se turpem , indeque non obligatoriam , ac semper prævalere illud Paulinum , melius est nubere quam uri , quam opinionem ex iisdem his rationibus quoque secuta Inclita Marpurg. Facult. jurid. in causa , Ob eine Abbadissen Evangelischer Religion ohne Verlierung ihrer Abbey heyrathen könne ? Item Doctiss Dn. Tulemarius in De- ductio-

ductione Ejusdem Argumenti; Verum, cum pro indubitate habeamus, conditionem quamdiu non nupserit, *An Abbatif-  
sa nubendo  
Abbatiam  
amittat.*  
 pro turpi non esse habendam, præcipue si alterius pa-  
 cissentium interfit illam servari, & argumentum ex tit.  
*Cod. de indicta Viduitate tollenda.* eo minus huc quadret,  
 quo defuncto qui illam conditionem adscripsit, nullum  
 ex reliæ viduæ nuptiis præjudicium oriri posit, insuper  
 Constitutio Imper. Justiniani ex l. 2. § ult. dict. tit. per-  
 Nov. 22. c. 43. § Auth. Cui relictum iterum sit sublata; quod  
 moribus quoque nostris observatur, dum tam pacis do-  
 talibus quam ultimis Voluntatibus scipio cum effectu con-  
 ditionem illam Viduæ, *So lange dieselbe unverrückten Wittben Stuels bleiben wird / adscribi videamus;* De-  
 inde illud Paulinum melius esse nubere quam uri, huc  
 allegari non posit, cum hic non de licentia matrimonii  
 incundi, quod Evangelicæ Abbatissæ non denegatur, sed  
 an Marito nubens Abbatiam retinere possit? quæra-  
 tur; Porro argumentum ab exemplis nonnullorum Epi-  
 scoporum Evangelicorum, tanquam a prorsus dissimili  
 hac non quadret, eo quod in illis Episcopatibus conditio  
 coelibatus non adsit, nec tantum interesse Capituli ut & sub-  
 ditorum ac Statuum Imperii subfir, si tales Episcopi matri-  
 monium contrixerint, quale subflet si Princeps Abba-  
 tissa, per Matrimonium forte cum Potentiori Principe, i-  
 psi Abbatissæ nimis formidabilis redderetur, ac propterea  
 vel moribus vel expresso pacto talibus Abbatissis, con-  
 ditio quamdiu non nupserit sit adjecta, quod ipse Dn.  
 Tulemarius exemplis ab ipso allegatis confirmat, dum  
 retro Abbatissæ postquam matrimonium elegerant, Ab-  
 batia se abdicaverint; De cetero cum simpliciter Ma-  
 trimonium illis non interdicatur, nulla contra Christia-  
 nos

nos mores militans conditio ipsi imponantur, insuper respectu actus externi Matrimonii ineundi, liberum hominis arbitrium non cesset, cum alioquin hoc absurdum exinde sequeretur, quod diu absente vel ægrotante Marito, uxori urenti aliæ nuptiæ contra fidem datam sint concedendæ; Denique ipse Apostolus, ad Ministerium Sacrum & munus Ecclesiasticum solemnam ad Matrimonium adspirantem admitti noluit, 1. ad Tim. 5. v. 9. & seq. Ex his omnibus afferere non dubitamus, tam Albatissam per Matrimonium contractum Abbatiam amittere; non vero per sola sponsalia, ob intervenientem mortem sponsi, vel ex alia causa non consummata. vid. Brunnem, ad tit. Cod. d. indict. Vid. toll. n. 6. cum. ibid. alleg. Unde simul facile decidi poterit quæstio de Canonis nonnullis Evangelicorum & Equtibus Ordinis Teutonici, qui expressa stipulatione vel juramento in conditionem cœlibatus consenserunt, quamvis & his confundendum, ut crucis, quod in signum ordinis gerunt, semper memores, cœlibatum suum in sancta pietate & Christiana humilitate transigerent, & Vestigiis crucifixi infestantes, ac pro defensione veri divini cultus strenue pugnantes, & ex amplis redditibus pauperibus subvenientes gloriosi Christi Equites existant.

## Th. VII.

*Matri tutrici, secun* adjecta sit, ut Mater vel Avia ad Tutelam liberorum pœ Nuptiæ adspirans, secundis nuptiis judicialiter renunciare de impune non beat, Nov. 94. c. 2. Nov. 118. c. 5. *Auth. Matri & Avie C. permittere quando Mul. tut. off. fung. & quidem juxta l. 2. dict. Aut. dæ. jurato;* per hanc renunciationem, libertatem matrimoni

nisi ineundi in illis restrictam esse videmus. Quemadmodum vero Apostolus Paulus *1. Tim. 5. v. 11.* & *12.* testatur, juvenes viduas, fidem de non amplectendis lecundis nuptiis ut plurimum non servare, ita quoque Imperator Justinianus jam dum suo ævo observavit, quod per nullum juramentum tam arcte constringi possint ad cœlibatum servandum, quin non perjuræ fiant, & contra promissum ad secunda vota properent, de quo prolixe conqueritur in *Nov. 94. c. 2.* ac propterea tantum ob evitanda perjuria juramentum a talibus viduis super renunciatione secundi thori exigi vetuit, ita tamen, ut judicialiter nihilominus renunciationem facere debeant, cum comminatione expressa, quod si contra hanc judicalem etiam non juratam renunciationem ad nova vota convolare ause fuerint, illas non tantum a tutela expellendas, sed etiam cum illi agis debere ac si illas jurare contigisset. Ubi ex *Nov. 22. c. 40.* notandum, tales viduas factam renunciationem secundi thori spernentes, non tantum omnia lucra nuptialis cum privilegiis dotis & jure tacite hypothecæ amittere, sed & successione liberorum prioris thori se indignas reddere, ac propter neglectam fidem, defuncti memoriam & charitatem filiorum, illas infames fieri & posse subjici debere; que constitutio cuin nullibi abrogata reperiatur, mirandum est, quod DD. vulgo in crassum illum inciderint errorem, illas non obstante renunciatione facta, impune, nisi quod tutela priventur, ad novas nuptias transire posse, absque dubio ex ratione de qua Christianissimus JCTorum B. Dominus Brunnenmann *ad auth. matri & avia C. qu. mul. int. off. fung. pot. n. 3.* conqueritur, quod iura pupillaria contra tot

C

salu-

saluberrimas constitutiones, christianam charitatem &  
 Reip. commodum, hodie neglectim & levi bracchio  
 tractentur; deinde quod apud Evangelicos falsa illa hy-  
 pothesis irreperitur, ipromissiones de restringenda secun-  
 dii thori libertate ex Paulino illo melius esse nubere  
 quam uri, non obligare, cum tamen & ipse Pau-  
 lus i. Cor. 7. v. ult. expresse statuat, viduam rectius &  
 beatius agere si in viduitate permanere sibi proponat,  
 eique juxta vers. præced. secundas nuptias non aliter  
 permittat, quam si in DEO hoc faciat, quod de tali, o-  
 mnem datam fidem frangenti, dici non potest; & sane  
 cum experientia testetur, quod exsuperans lascivia, qua-  
 tales viduae juxta effatum Apostoli i. Tim. 5. v. n. ad no-  
 vas nuptias feruntur; illas ut plurimum eo deducat, ut  
 in favorem sperati novi mariti, memoria prioris conju-  
 gis & charitate erga liberos eradicata, quidvis in detri-  
 mentum liberorum moliantur, cui malo sacratissimi  
 Legislatores per sepe dictam renunciationem obvenire  
 voluerunt, ut sic matri tutelam prætendenti, pius &  
 cordatus judex remonstrare debeat, ut prius bene se se  
 examinet, an potius libertatem novi matrimonii ineun-  
 di sibi conservare, an vero ob prætentam tutelam, so-  
 lenni judiciali renunciatione, hanc sibi restringere ver-  
 lit, addita expressa comminatione, quod neglecta illa  
 renunciatione facta, poenas huic transgressioni in jure  
 præscriptas, ac ipsi clare & perspicue explicandas, effu-  
 gere non debeat, & si ita semel renunciaverit, stricte  
 quoque legum dispositioni inhaerendum esset, neque  
 huic obstat, quod supra deductum, foeminas propter ma-  
 ritum ad matrimonium ineundum a natura productas  
 esse, sufficit enim, quod semel se se huic naturæ ordini  
 subje-

subjecerint, ac primo marito in casto thoro liberos pepererint, & sic instituto divino satisfecerint, ut jam potius pia educationi liberorum studere, quam lascivienti corpori interfervire debeant, cum & omnia jura divina & humana, secundis ipsarum nuptiis non saveant.

## Th. VIII.

Si præter enumeratos similesve casus, Legum auctoritate munitos, quispam privati sui commodi causare renuntiationem foeminam induxit, ut in ipsius favorem nuptiis absoluere nuptiarum lute renunciaverit, exinde tali foeminæ nullum præjudicium, quamvis paucis non stiterit, oriri debet, cum non præjudicium sit juris auxilio, qui proprium commodum nanciat. turæ ordini præferre ausus fuerit. Si vero contigerit Secus in mares in favorem Illustris familie nuptiis renuntiassent, maribus. & tamen spretâ promissione facta, uxores duxisse, illi nec dignitatem nec emolumenta quibus semel renunciarunt, ad liberos devolvere poslunt; Sed cum cuiuslibet liberum sit, favori pro se civili lege introducto renunciare, liberi vero plus juris non habeant, quam pater ipsorum tempore generationis habuit, manente tantum naturali ad alimentationem & educationem liberorum obligatione, patet per talem renuntiationem, effectum legitimi conjugii, quoad liberos, valide restringi, in quo fundamentum matrimonii ad morganaticam constitit; nisi illa renuntiatio, inconsulto, in tali ætate facta sit, cui alias jura per restitutionem in integrum succurrunt.

## Th. IX.

Restat ut de restrictione nuptiarum, per Superioris potestatem vel imperium inducta, paucis agamus. Ubi primo ex naturali parentum potestate, quid circa matrimonium liberorum justum sit queritur, & cum non suffici-

sufficiat libidini litare & liberos procreare , nisi quoque in recta educatione liberorum , genitor officio suo satisfacere posit , de qua capacitate Parentes potissimum & optime judicant , hinc liberi in patria potestate constituti , antequam adoleverint , non nisi ex patris voluntate valide nuptias contrahunt , dummodo alteri parti constiterit , aut facile constare potuerit , personam sponsandam a patria potestate dependere , si enim hujus dolo altera pars alius persuasa sit , hic dolus innocentii nocere non debet arg. l. i. § 2. C. si min. maj. se. dix. Si vero liberi annos adolescentiae & lubricæ ætatis egressi , matrimonium contraxerint , illud in se ratum esse supra ex Nov. 115. c. 3. §. 11. demonstratum , quod vero in filiis de jure Romano sine distinctione aliud introductum sit , communiter Dd. tradunt , moti per §. 12. Inst. de nupt. junct pr. ibid. cum simil. unde quoque ante aliquot annos ex decreto gloriosissimi cuiusdam Principis , foeminam , a filio ex illustri stemmate nato contra Patris voluntatem ductam , propter ignorantiam generis ex possessione thori prorsus relegatam scimus ; Verum rem hanc penitus consideranti , apparebit per allegatam juris Romani sanctionem , non tam naturale conjugii vinculum invalidari , quod fieri non potuit , juxta §. 11. de j. N. G. & C. quam introducta in nobiliorum familiis , pro conservatione illustris nominis gloria , patria potestate , de quo vid. Praes in not. ad Illustr. D. de Retz. Meditat. ad Inst. Jur. tit. de patr. pot. tantum tali , contra Patris voluntatem initæ conjunctioni , effectus civiles legitimæ successionis similesve denegantur , ne avo invito , forte in regalibus ipsius possessionibus , fuisse agnascatur heres ; quod in d. §. 11. per verb. NON INTELLIGUNTUR innui videtur , quasi di-

*Derefristi-  
ctione nup-  
tiarum ex  
Superioris  
voluntate  
orta.*

*Parentes li-  
bertatem  
matrimonii  
liberorum  
recte re-  
stringunt,  
donec hi li-  
beros recte  
educare  
possint.*

dicat, quod licet naturaliter tales nuptiae subsistant, ut exinde liberi respectu genitoris, hujus justi liberisint, respectu tamen avi, Patre forte præmortuo, quoad hujus dignitatem & successionem, tanquam pro vulgo quæstis habendos esse & justas nuptias illo respectu subfuisse, non intelligi. Unde in illorum liberis, quorum splendor familie & dignitatis in considerationem non venit, nuptiae sine Parentum consensu consummatæ, communem effectum retinent; exemplo Esavi, cuius uxores, licet contra pii Patris voluntatem ductæ, ab hoc, pro conjugibus ejus tamen agnitæ sunt, *Gen. 28. v. 6. Et seqq.* *E pasim.* E contra si filius majorennis contra Patris illustris voluntatem, in dedecis familie, ex quo Pater justam dissentendi causam merito habuerit, uxorem duxisset, huic quidem ille Maritus, secundum naturales conjugii leges, obligatus manere debet, quamvis liberi exinde nati, a dignitate avita, coeterisque ad splendorem familie pertinentibus, repelliri possint. Quæ omnia, quam præ ignorantia juris & veræ moralitatis, in iniquum abusum convertantur, ac obsequium naturaliter Parentibus debitum, cum illa ad splendorem familiarium pertinente patria potestate, aliquæ singularem respectum habentibus iuribus Romanis, hodie confundantur, & pro annullandis liberorum matrimonialibus conventionibus, Parentum deficiens consensus, contra naturale vinculum attendatur, execranda docet experientia.

## Th. X.

*De prohibitiōne matrimoniū.*  
Ex imperio majestatis in Rep. ob publicam utilitatem militum, non tantum militum libertas circa ineunda matrimonia restringi solet, sed & respectu uxorum contra nio, talēm prohibitionem ductarum, ipsum matrimonium consummatum annullari & cassari videmus: quale editum,

Etum, Sapientissimi Regis Borussiae authoritate, in omnibus  
 potentissimæ eius Majestati subjectis ditionibus singulis an-  
 nis solenni publicatione in memoriam revocari constat.  
 Cum vero inter omnes Christianæ religioni addictos in con-  
 fesso sit, vinculum conjugii maxime naturale esse, quod nul-  
 la civili lege tolli potest, & cuius dissolutio, extra casum  
 adulterii (vel manifesto probati vel ex maliciose defertione  
 præsumpti) soli Deo competit *Matth. 19.* liceat salvo sub-  
 missio obsequio justitiam restrictæ libertatis matrimonii in  
 militibus paucis considerare; quam in eo consistere existi-  
 manus, quod dum salus publica suprema lex sit, e contra  
 exercitus militum uxoribus & liberis repleri, multa publi-  
 cum bonum turbantia incommoda secum ferat, ipsique mi-  
 litis in expeditione constituti, per hoc sepius a necessaria  
 offici præstatione impediuntur, per dictam constitutionem  
 hisce malis optimus Princeps obvenire voluit, non tantum  
 matrimonia militum prohibendo, sed & foeminas commi-  
 nando, quod si contra hanc prohibitionem in matrimo-  
 nium militis consenserint, sciant illis effectus conjugii, in  
 forte exigenda conjugali cohabitatione aut alimentatione,  
 ipsis denegandos esse, cum externa legis assistentia merito  
 illi denegetur, quæ sciens contra Legem commisit; unde  
 casu contingente, quo uxor militis, forte extra provinci-  
 am ductr, demonstrare posse, se tempore contracti matri-  
 monii, dicta Regiae constitutionis ignaram fuisse, vel uxor  
 hujus constitutionis gnara, a milite in matrimonium ducta,  
 exspectet, donec finita militari expeditione & facta missio-  
 ne, causa interdictionis in marito suo cesseret, tum talis, qui  
 semel ut maritus se obligavit, sub prætensa excusatione E-  
 dictalis annulationis illius matrimonii, se liberare non  
 poterit; tum quod ex allegatione propriæ transgresio-  
 nis, nullum debeat ipsi oriri jus, tum quod naturale vincu-  
 lum

lum femel cum tali foemina contractum, indissolubile man-  
serit, unde quoque non obstante prædicta constitutione,  
nec tali viro militi, nec simili uxori licebit alia ambire coniu-  
gia, sed finita expeditione militari, ad officia conjugalia in-  
vicem exhibenda obligati manent. actionibus enim bellicis  
occupato marito, uxoris privationem, inferre & contra, non  
minor esset poena quam ab hostibus capi; inquit Imp. Con-  
stantinus & post illum Justinianus in *Novell. 22. c. 14.*, que  
præcautiones circa hanc materiam, occasione laudati Edi-  
cti in hisce provinciis sepius occurrentem, apprime no-  
tandæ essent.

## Th. XI.

Interdum quoque libertas matrimonii ineundi qui. *An mulieri*  
busdam propter delictum commissum denegatur, sic enim adultere  
e. g. DD. vulgo statuunt, quod recessio ob adulterium ma. Matrimo-  
nitio parti nocenti secundæ nuptiæ permittendæ non um interdi-  
sint, quæ sententia si ex Decretis Pontificum ita executio-  
ni daretur, ut mulier adultera si non juxta Canonistas mo-  
nastryo, tamen ergastulo aut alii ad opus publicum desti-  
nato loco includatur, ne, illa quæ femel contra matrimonii  
leges peccasse inventa est, iterum in idem peccatum, cui  
femel assueta, incidendi occasionem habeat, non impro-  
banda, donec de vera ejus pœnitentia & emendata vita, ex  
genuinis pœnitentiae & sancti Spiritus fructibus passim a  
Scriptoribus Novi Testamenti, recensitis, constare possit,  
si vero (uti apud Evangelicos fieri solet) remissa adultere  
capitis poena & illa vel relegata vel exsoluta multa pecuni-  
aria im libero confortio aliorum hominum relictæ sit, non  
videmus quomodo prædicta DD. decisio usum habere possit;  
Si enim talis mulier à priori viro separata, aliud matrimonii  
contraxerit, nec propter vinculum prius, jam plane so-  
lutum, nullo ejus effectu remanente, nec propter crimen

cu-

cuius pœnam semel perpetua est, illud dissolvit poterit, ne huic secundo viro propter uxoris crimen antea commisum, ansa detur, impune in illam peccandi, & hic sibi imputare debeat; quod vel sciens talem duxerit, vel in conditionem ejus, cum qua tam arctissimum foedus contraxit, non melius inquisiverit; idem tenendum de muliere, quæ propterea quod in mortem mariti conspirata ab eo separata est, *vid. c. 1. X. de divorcio*, propter alia vero crimina, ipsum thori vinculum non afficiens, separatione locum non inveniente *c. 2. X. de divorcio*.

## Th. XII.

Quo usque ex Testatoris voluntate viduæ, non vero virginis, libertas matrimonii ineundi restringi possit, ex illis quæ supra de spontaneo consensu hujus negotiū dicta sunt, facile judicari poterit, de hominibus vero propriis singulorum locorum statuta, utpote in fe diversa attendenda, & inde juxta præcedentium resolutionum fundamenta pronunciandum erit. In quibus omnibus magis solidis rationibus legumque divinarum ac humanarum fundamentis, quam ex scriptis DD. allegationibus, quas mihi perscrutari nondum licuit, quæque in hac ardua materia legem facere non possunt, studio uti volui, & quamvis multa alia hue pertinentia pertractare constituerim, tamen propter inevitabile impedimentum & subito instans iter hic abrumpere cogor B. L. implorans studiorum meorum hasce primitias æquo judicio magis excitare, & errantem amice ad veritatemducere, quam acerba refutatione propositum meum publico bono inserviendi susflaminare velit.

*DEO SIT LAUS HONOR ET GLORIA,*

00 A 6371

ULB Halle  
002 916 614

3




1018

1018



B.I.G.



44

DISPUTATIO  
JURIS MORALIS ET CIVILIS  
PUBLICI ET PRIVATI  
DE  
**RESTRINGENDA**  
LIBERTATE MATRIMONII  
INEUNDI  
QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.  
*SUB PRAESIDIO,*  
**DN. HENRICI BODINI,**  
JCTI, CONSILIARI REGIM. ECCL. IN DUC.  
MAGDEB. ET PROF. JUR. ORD.  
*EX E JUSDEM PRIVATISSIMIS DISCURSIBUS*  
*EXCERPTAM.*  
PUBLICÉ VENTILANDAM PROPONET  
**HIERONYMUS DE Münchhausen /**  
**EQ. SCHAUMBURG.**  
*ad diem 17. Dec.*

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis JOH. GRUNERI, Acad. Typogr.

